



9



79.
JOHANNIS STURMII

Confil: Anhaltini

SECUNDA VOTA

Cum lectissimâ, & honoratissimâ fœminâ

MAGDALENA HAYNIA,

Clarissimi quondam, experientissimi, & excellentissimi Viri

Domini PHILIPPI SALMUTH

Medicinæ Doctoris, & Archiatri An-

haltini, b. m: relictâ viduâ,

S P O N S A,

DEO BENE SECUNDANTE

Secundo omine ipsâ die CONCORDIÆ, quæ
erat d. 18. Mens. Februarij, solenni inauguratione
nuptiali firmata, piisq; & faustis tum suis
ipsius, tum amicorum votis & con-
gratulationibus deco-
rata,

COTHENIS ANHALTINORUM

Anno M. DC. XXVIII.



SPONSI VOTUM.

CHRISTE veni, junctasq; manus, & fœdera firma
CHRISTE novi voti pronube CHRISTE mei.
Pronube GHRISTE veni, Duce te nova fœdera jungo
Fœdera nî summâ non soluenda die,
Fœdera qua PIETAS, & culta gloria FAMÆ,
Inq; PAREM haud DISP AR conciliavit AMOR,
Auspice te nihil est infœlix auspice CHRISTE,
Nec malè, quod cœptum est te duce, cedit opus.
Ergo veni, junctasq; manus, & pectora firma
CHRISTE novi voti pronube CHRISTE mei.

Ad Clarissimum, & Consultissimum Dn. Spon-
sum, priscâ fide amicum.

Jure tuis flagitas votis mea vota secundis,
Quem memini votis sæpè favere meis.
Voti summa brevis: primis sint consona votis,
Que modò moliris vota secunda, tuis.
Quod paucis voveo, multis tibi præstet JOVA
A cujus veniunt utraq; vota manu.

Tui Studiosis:

M. Wendelinus.

A 2

Aliud

Aliud.

OMnia sic Fato ! Jam vincla jugalia solvit
Fatum ; Nunc iterum dulcia jungit idem.
Durum equidem fatum, quod solvit bina suavi
Sanguinis, aut vitæ corda ligata fide ;
Convoco te testem, Vir Consultissime, Sturmi,
Tristia cui Fatum pocla bibenda dedit.
Vincula Conjugij Fatum cum suavia rupit,
Optatâ orbavit te fociâq; tori :
Præbet idem absterfis lacrymis sed dulcia pocla,
Dum petit amplexus sponsa secunda tuos.
Sponsa decus quondam Clari decus ipsa Mariti,
Quem mihi devinxit candida, prisca Fides.
Dignus es, ut grater, quare Clarissime S T U R M I,
Adsit Eros lecto, sit procul omnis Eris.
Hoc præstet Fati Rector Deus ipse benignè,
Ambo quem colitis, cunctipotente Manu.

Εὐφημίας

Ἔ observantia,

ergò

scripsit

M. Cunradus Reinhardus, Superin-
tendens Berneburgensis.

Aliud.

Aliud.

Gracchus eras voto; non fato: sepè precatus
Uxori longos, & sine nube, dies.
Nam victus fato es, dum funere mergitur **AGNĒ S,**
Et viduat thalamum mors inopina tuum.
Sed vincis fatum, **STURMI NOVE SPONSE,** vicissim,
Dum sternit lectum **NUPTA SECUNDA** novum.
Fac Deus, amissæ redeant multo agmine dotes,
Et ferat ætatem hic Conjugalis amor.

Observantiæ ergò

scrib.

Martinus Milagius.

Gen. 24. v. 67.

Quod fuit Abramida germana **REBECCA** Labanis,
Hoc in **JOHANNEM** sit **MAGDALENA** sicutum.
Illa **ISAACE** tuos fletus ob funera **MATRIS**
Abluit, in thalamum Sponsa vocata tuum.
Hac **TE** soletur **TE** consultissime **STURMI**
Nunc tibi in amplexus que nova nupta datur.
Abstergatq; udas quibus ora genasq; rigasti
HAGNETIS lacrymas funera ob atra tua.
Par bene conveniens ætate, vigore, statuq;
Fac **DEUS** hos faciat læta Senecta Pares.

A 3

Aliud.

Aliud.

Qua viduus *STURM* vidua cum compare luce
Concelebras socij jura *SECUNDA* tori,
Hac dicta in Fastis *CONCORDIA*, dulce vel ipsum
EST NOMEN. Quis non *OMEN* inesse putet?
OMEN confirmet *PACIS* Deus autor & altor
Ut penes *IRENE* vos sit, & absit Eris.
Sic thalami tua jura secunda futura *SECUNDA*
Sunt verè socij. Sint rata vota precor.

Vovebat

CHRISTOPHORUS LUDOVICUS,
Diaconus in Patriâ.

VOTUM NUPTIALE

secundis votis

Amplissimi & Consultissimi Viri,

Dn. JOHANNIS STURMII, Consi-
liarij Anhaltini Bernburgensis intimi, Ho-
noris ergò dicatum.

B Inos quis jungit socios? Respondeo *JOVA*:
Hos quis disjungit? *JOVA TRIUNUS* erit.
Pectora quis recreat? quis pectora vulnerat? *Item*
JOVA facit justus, credite, sine bono.
Quis *SPONSI* & *SPONSÆ* disjunxit pectora? *JOVA*:
Quis thalamoq; novo jungit? *JOVA* scias.

Sic

*Sic benè cuncta facit, fecit, facturus J O V A:
Vulnerat, & sanat, dissociat, sociat.
Ergò quid voti fundam, Clarissime SPONSE?
Vota secunda diu vota secunda sient!*

A

Sebastiano Reinhardo, Ecclesiæ
Dessanæ ministro.



*Ad Amplissimum & Consultissimum
Dn. Sponsum.*

AUdiit igne suum tenero flagrare poëtam
Phœbus, & ardori succubuisse novo:
Hinc tali aggreditur puerum Cythereidos ore,
Gaudentem cupidas usq; mōvere faces:
Parve puer, regno nostro puer inuide, vires
Quorsum in vate tuas exeruisse iuvat? (ergò
Hic meus est, & in hoc mea sunt mihi jura, quid
Mittere nunc gestis sub tua castra meum?
Istis fige tuis merituos sponte sagittis,
Hoc tibi jus constet: jus mihi linque meū.
Risit amor blandum, jactâq; in terga pharetrâ,
Hos Phœbo facili reddidit ore sonos:

Ne

Ne prætende meis vim coeptis, Phœbe; calores
Sentiât usq; licet, sit tamen ille tuus.
Utq; scias, æstus tacitos inspiro medullis
Hujus, & insueto fomite pectus ago :
Coelibis ut vitæ pertæsus vincula lecti
Induat, ac nuptæ flagret amore novæ :
Utatur consorte tori, consorte laborum,
Pulchraq; connubij munera, spemq; ferat :
Ut dulces surgant nati in quibus extet imago,
Inq; futura patris secula perftet honos.
Assensit Phœbus, Clariæ assensere Sorores,
Riserunt Charites, risit & ipsa Venus.
Tunc ego : Concordes vos ite in mutua vota,
Annuite & Sponsis Phœbe, Venusq; novis.
Plura sed in thalamum meditati promere vota,
Propositum Phœbus corrigit hisce meum:
Tunè vel invitis Musis, huic carmina panges,
Qui solus Musas, carmina solus habet?

*Cultus & observant: ergo
typis exscribi vo-
luit*

Erycius Arctopalæstus.

Acro-

Acrostichis

*Ad Amplissimum & Consultissimum
Dn. Sponsum.*

J	<i>ussu, Jhova, tuo socij par comparis aqua</i>	M
O	<i>ptat opem; rabiemq; lupi non appetit agn</i>	A.
H	<i>oc docet en viduata prius, nunc sponsa viro ma</i>	Gno
A	<i>ssocianda! Pudicitia rarum decus illu</i>	D
N	<i>on alia jungi decuit, quam compare dextr</i>	A.
N	<i>ec labiis aliud, perdocte, tuis fuerat. Me</i>	L
E	<i>variis dignum. Superabat MAGDALIS omn</i>	E
S	<i>i vel ab Hybleo peteretur monte liquame</i>	N.
S	<i>umma vel in titulis vobis concordia: Summ</i>	A
T	<i>emperies morum, ac virtutis utrinq; refulgen</i>	S
U	<i>sque utiq; ad summam durabit mortis agon</i>	A.
R	<i>em scio, nec vereor vestrum Rhadamante tribuna</i>	L
M	<i>e facilis quod suada jubet cognoscere. Veru</i>	M
I	<i>am dico verax. Socij mihi credite. Nex</i>	U
V	<i>ota pio haut frustra cum complice sponsa profudi</i>	T
S	<i>TURMIUS absq; armis obsessa immittitur arc</i>	I.

Friederich Christian Salmuth,
Not: Cæs: an jeko Stadt-
schreiber zu Ragun.

B

Ad

Ad Virum

Amplissimum & Consultissimum

Dn. JOHANNEM STURMIUM,
Ictum, Principatus Anhaltini in Bernburg
Consiliarium dignissimum, Dominum ac Mœcenatem
suum, nuptias secundas cum honoratissimâ, castissi-
mâq; matronâ MAGDALENA, Clarissimi expe-
rientissimiq; Doctoris Medici PHILIPPI SAL-
MUTHI, piæ memoriæ, viduâ celebraturum
Dessaviæ ad 18. Febr. Anno 1628.

*Ode tricolos tetra-strophos, σύμμετρος Carmini
seculari Horatiano:*

Dianam teneræ dicite virgines, &c.

Rectè, Magne Virum, conjugis irruis
Amplexus licitos; & juvat insciam
Frugis linquere vitam,
Hac tritâ meliùs viâ.

Solus quippe solum si quis obambulet,
Et fortasse citis sic pedibus ruat,
Lapsum nulla levabit
Hunc talem auxilio manus.

Primum terreginam noluit Arbiter
Rerum solivagum, foedere copulans
Viventum genitricem
Irrupti sociam tori.

Quin

Quin hoc multoties vere Diespiter
Lætantis gremium conjugis irrigat,
Irritatq; virescens
Campi graminei decus.
Æthræ fulgidulis omne choragium
Splendescit magis, & provocat ignibus
Jussa ad quæq; sequaces
Grata temperie dies.
Jam rursus scatebris unda superbior
Immitis queritur passa tyrannidem
Eduram, & glaciales
Permultas hyemis vices.
Rex inter Phaëthon lucida sidera
Jam sceptrum probius concutit, & vibrat
Auratum diadema
Ad nutum moderans suum.
Assurgit Domino foeta Favonij
Sopitis socijs aura furentibus.
Ingens oscen inane
Replet multiplici sono.
Cassitæ tireli compita perstrepit;
Elinguis resonat dulcisonum melos
Eccho in valle reductâ,
Althis quod cecinit gemens.

Quot rauci ingeminant oscula turtures?
Quot conventiculis garrulæ hirundines
Gaudent? Ipse cuculus
Ingratum repetit nefas.
Diverſo hoc probior more ciconia
Oblongum retrahit nunc crepitaculum,
Supremumq; parentem
Prolem ſolicitat piam.
In limo interea Principis immemor
Pergit rana loquax dicere jurgia,
Integratq; querelas
Ipsis vel ſub aquis aquans.
Decuſſas frutices jam reparant comas;
Et demiffa prius pascua germinant;
Et lactentia turgent
Herbantis ſtipulæ fata.
Proſerpens poſito beſtia tergore
Mirabunda novam carne ſubuculam,
Cauſam & mortis echidna
Sentit viſceribus ſuis.
Et cur ſueta prius vincla jugalia
Declinet Themidis STURMIUS aſſecla?
Cur non vere novello
Vernantem repetat torum?

Quod

Quod natura jubet, quod melior Deus,
Applausuq; suo pleraq; comprobant,
Id tu haut alite dextro
Inceptum statuas cave.

*Observantia bonaq; scæva causa
ludebat*

Henricus Döbler, Höhenkemnatenfis
Bavaro-Palatinus, Ecclesiæ ad S.
Stephani seu Waldalensis apud Ber-
neburgenscs minister.

Aliud.

Aeria increpitans vigil alto è culmine turris,
Ductilibus scindit flabra sonora tubis.
In fora certatim vulgus se proripit, atq;
Complet vicinas agmine turba vias.
Mentior? an sacras procedit sponsus ad aras
Pacta tori ut firmet fœdera, teste Deo.
Cede parùm vulgus, spectantes cedite cives,
Tuq; tuum retrò fer bona turba pedem.
Cede parùm; magnâ comitum stipante catervâ
Arduâ scansurus limina sponsus adest.
J O H A N N E S grato qui nomine **S T U R M I U S** audit,
Bernburgi lumen præsidiumq; fori.
Salve grate dies, lux o placidissima salve,
Deliciis salve lux operata novis.
Ecce tuo optatos fert munere sponsus amores,
Quod cupit, Ecce tuo munere sponsa capit.

B 3

Hunc

Hunc age si qua tori tangit te cura jugalis,
 Redde serenantem gaudia, Phœbe, diem.
 Tuq; ô, qui duro bellantes, Aeole, ventos
 Imperio stringis, carceribusq; domas:
 Comprime vesani tristissima prœlia Cauri,
 Et Boreæ, cohibens flamina, pelle minas.
 Hybernas moderare nives, & frigora brumæ,
 Ne thalami incestet gaudia triste gelu.
 Letos læta decent: nil festâ luce moramur
 Prœlia, nil Cauri flabra, minasq; Poli.
 Quod si bella juvant, duce bella gerantur, Amore,
 Militiaq; locet castra Cupido sua.
 Bella, quibus partæ justissima prœlia palmæ
 Victorem maneat fœmina victa virum.
 Dii faveant cœptis: Dii gaudia vestra sereno
 Aspiciant vultu, præsidioq; juvent.
 Ceu modò sine carens, & originis annulus expers,
 Adstringit digitos, nuptaq; virq; tuos:
 Unanimi sic vos nectat concordia vinclo,
 Et pax, & pacis Gratia blanda comes:
 Innumeros demto sic sine moretur in annos,
 Nec cum rugosâ fronte senescat amor.
 Sint fœcunda tori commercia: congrua vestris
 Prolificum precibus dona cubile ferat.
 Nascatur patriis hæres non deneger actis
 Cujus vos faciat semine cretus avos.
 Hinc semper nato succedens ordine natus,
 Vos abavos reddat, vos atavosq; simul.

observantiæ ergò

Johannes Rarisius, Corrector
 Scholæ Dessaviana.

Joco-ferium nuptiale.

Cui quondam uxorem **MEDICUS** curaverat agram,
Morte suâ viduum curat & ille torum.
O MEDICO dura, at patienti cura fidelis,
ut medici ex busto sentiat eger opem.

F I N I S.



ULB Halle
002 677 830

3



56


Nv 1999

(1/69.)

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

STURMII
inhaltini
VOTA

onoratissimâ fœminâ
A HAYNIA,
perientissimi, & ex-
mi Viri

I SALMUTH
, & Archiatri An-
relictâ viduâ,
S A,

ECUNDANTE

ie CONCORDIÆ, quæ
, solenni inauguratione
, & faustis tum suis
um votis & con-
ibus deco-

HALTINORUM
C. XXVIII.

79.

